

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Eloquencia r
cum fonte primo

Nichil ordinatum est quod precipitatur et properat.

Eque stillare illum uolo quam currere, nec extendat aures nec obruat.
Illa quoque inopia et exilitas minus intentum auditorem habet
tedio interrupte tarditatis.

Facilius tamen insidet quod expectatur quam quod preteruolat,
tandem discipulis homines precepta dicuntur:
non traditur quod fugit.

Remedia non prosunt nisi immorantur.

Seneca XXXII. epistola.

Hoc non probo in philosopho, cuius pronuntiatio quoque,
sicut vita, debet esse composita;

nihil autem ordinatum est quod praecipitatur et properat.

Itaque oratio illa apud Homerum concitata et sine intermissione
in morem nivis superveniens oratori data est,

lenis et melle dulcior seni profluit. Sic itaque habe:

[ut] istam vim dicendi rapidam atque abundantem aptiorem esse
circulanti

quam agenti rem magnam ac seriam docentique.

Aeque stillare illum nolo quam currere; nec extendat aures nec obruat.

Nam illa quoque inopia et exilitas minus intentum auditorem habet
taedio interruptae tarditatis;

facilius tamen insidit quod expectatur quam quod praetervolat.

Denique tradere homines discipulis praecepta dicuntur:

non traditur quod fugit.

Adice nunc quod quae veritati operam dat oratio incomposita esse debet
et simplex: haec popularis nihil habet veri.

Movere vult turbam et inconsultas aures impetu rapere,
tractandam se non praebet, aufertur:

quomodo autem regere potest quae regi non potest?

Quid quod haec oratio quae sanandis mentibus adhibetur
descendere in nos debet?

remedia non prosunt nisi inmorantur.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 40.2-4
(L. Reynolds ed., vol.1, pp.104-105, ll.25-28, 1-17).